



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXVI. Gregorii Papae I. Ad Episcopos Hiberniae. De causa trium capitulorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

minicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissa plebis regimine lucrandisque animabus inuigila, ut ante tribunal æterni iudicis constitutus, fructum bonæ operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, eidem redemptori nostro, in quo lætari possis, exhibeas.

EPISTOLA XXXVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS HIBERNIÆ.

De causa trium capitulorum.

*Gregorius vniuersis episcopis per Hiberniam.*

SCRIPTA vestra summa cum gratulatione suscepi: sed Persecutio noxiis non prodest coram Deo. Serit in me vberior valde lætitia, si mihi de vestra contingerit reuersione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons grauem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire, sicut beatus Cyprianus dixit, *quia martyrem non facit pœna, sed causa.* Dum igitur ita sit, incongruum nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime prouehi. Reducat ergo caritatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generauit, ecclesiam: nulla vos animorum intentio a concordia vnitatem dissociet, nulla persuasio rependo vos a recto itinere defatiget. Nam in Synodo, in qua de tribus capitulis actum est, aperto liquet, nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenus immutatum: sed, sicut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est actitatum: quarum vna, cuius scripta euidenter a rectitudine catholice fidei deuiabant, non iniuste damnata est. Quod autem scribitis quia ex illo tempore inter alias prouincias Non semper noxi sunt quos flagellat Deus. maxime flagelletur Italia, non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium, quoniam scriptum est: *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Si igitur ita est, ut dicitis, ex eo tempore magis dilecta est apud Deum, & modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia vero non ita sit quemadmodum vos in eius insultationem affirmare co-



namini, rationē attendite. Postquam recordandæ memoriæ Vigilius papa in vrbe regia constitutus contra Theodoram tunc Augustam & Acephalos damnationis promulgauit sententiam, tunc Romana vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, & iniuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios qui catholicæ fidei mysteriis instituti sunt dicere, vel aliquo modo confiteri conuenit. His denique cognitis, ab hac quandoque iam deliberatione recedite.

*Pelagii papæ II. librū de tribus capitulis mittit.*

Vt igitur de tribus capitulis animis vestris ablata dubitate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius papa scripserat, vobis vtile iudicavi transmittere. Quem si deposito voluntariæ defensionis studio puro vigilantique corde sapius volueritis relegerē, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem nostram nihilo minus reuersuros esse confido. Porro autem si post huius libri lectionem in ea qua estis volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam sed obstinationi vos dare monstratis. Vnde iterum habita locutione caritatem vestram admoneo, vt quoniam Deo suffragante fidei nostræ integritas in causa trium capitulorum inuiolata permansit, mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat & inuitat, ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie expectari cognoscitis.

## EPISTOLA XXXVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD NATALEM EPISCOPVM SALONITANVM.

De conuiuuiis iustis &amp; iniustis, aliisque rebus: &amp; de Honorato archidiacono.

*Gregorius Natali episcopo Salonitano.*

*Ioan. diac. libro 3. cap. 35.*

**Q**VASI oblita præcedentium scriptorum serie, sola vestra beatitudini quæ ad dulcedinem pertinerent loqui decreueram: sed dum vestra epistola ad priora scripta ratiocinando reuocat, iterum forsitan quædam quæ minus libeant narrare compellor. In conuiuiorum etenim defensionem vestra fraternitas Abrahæ conuiuium me-

*Gen. 18.*